

EVSEBII DIEM,
AVGVSTO, POTENTISSIMO QVE PRINCIPI,
AC DOMINO,
FRIDERICO
GVILIELMO,
BORVSSIAE REGI,
MARGGRAVIO BRANDENBURGENSI,
S.R.I. ARCHICAMERARIO, ET PRINCIPI ELECTORI,
ET RELIQA,
PIO, FELICI, AVGVSTO, PATRI PATRIAE,
NATALEM,
ORATIONE PANEGYRICA,

JOHANNE SAMVELE STRIMESIO,

ELOQV ET HIST. PROF. PVBL. ORD.
SOLENNITER CELEBRANDAM,
INDICVNT.

ATQVE, AD AVDIENDAM EAM,
ILLVSTRISSIMOS BORVSSIAE PROCERES,
CETEROSQVE LITTERARVM FAVTORES, ET CIVES,
REVERENTER, OFFICIOSE, ET HVMANITER,

INVITANT

RECTOR ET SENATVS
REGIAE ACADEMIAE REGIOMONTANAE.



REGIOMONTI,
LITERIS REUSNERIANIS.



I per universum, qvam longe patet,
Borusi Regis imperium, dubium
cuiqvm esse posset, qvo potissi-
mum honore cultuqe Patris Pa-
triae Natalis, *proxima Iovis*, auspicatisimo omi-
ne recurrens, celebranda foret, hunc vel in-
spectum felicissimae diei nomen ad debitae
tantaeqve luci convenientis gratulationis offi-
cia accenderet. Nam cum in fastis auspicem
hanc fortunae publicae diem, EVSEBII appella-
tione insignitam, cernimus, facile admone-
mur omnes, ut memoriam prosperitatis illius,
qvae subjectis gentibus ante hos tres et trigin-
ta annos obtigit, rite obituri, *Eusebios* nos
praestemus, Piiqve Principis natalem debitae
in Deum Regemqve pietati, et ardentissimis,
pro perennatura Augusti salute, precibus, de-
votisqve suspiriis dedicemus. Haec scilicet
justa sunt, qvae exoptatissimae luci debentur,
solennia; non illa, qvae superstitiona profana-
rum gentium consuetudo, sacrificio libi, id est,
farre, melle, et oleo, aut invitatione Genii ad
epulas, qvae ture siebat et vino, in Natalibus
Caesarum sancivisse legitur. Quid enim ju-
stum magis et decens, quam optimi Regis Na-
talem reverenti pietate prosequi; qvam reli-

Pol. 8. III 719 | Edic,

giosis



giosis supplicationibus illa die, qva vivendi initium fecit , perpetuam ei incolumentem apprēcari , a cuius vita et prosperitate , publica omnium pendet felicitas.

Qvod ergo devota Augusto Regi Academia ex eo tempore , ex qvo illud saeculi Principumque ornamentum , FRIDERICVS GVLIELMUS , Divi Patris solium conscendit, submisso et reverenti cultu , qvotannis observare solita est , idem et Postrid. Idus Augusti tanto alacrius, hoc anno, exseqvetur , qvanto recentius gaudium pectore servat , cum auctorem fortunae Borussicae et praesidem, divinaeqve benignitatis dispensatorem , non ita pridem aspicere , beatoqve Augusti vultus intuitu frui contigerit. Nec longius ex infinito Regiarum virtutum cumulo , publicae pietatis precumqve pro salute imperantis fundendarum , argumenta repetet; sed summa tantum praecipuarum laudum capita breviter delibabit , qvae praesentis anni historia uberrime suppeditat. Commendabit coelo Principem , Patrem Patriae indulgentissimum , qvi omnem felicitatis suae mensuram ex subditarum sibi gentium flore metitur. Commendabit coelo Principem , solertissimum juris et aeqli administratorem.

nistratorem , qui legum Themidisque curam
providentissime suscipit. Commendabit coe-
lo Principem , accuratissimum castrorum lu-
stratorem , qui imperatorum sudorem militari
pulveri miscere pulchrum aestimat , ut secu-
ros , armorum praesidio , populos praestet.
Commendabit coelo Principem , novorum
commerciorum fundatorem , qui mercatura et
navigationi favet , ut abundantiam opesque
in sibi subjectos derivet. Commendabit coe-
lo Principem , Musarum statorem , qui Acade-
mias benigne ac sollicite respicit , ut litterarum
decus , pari , qva cetera omnia , felicitate , efflo-
reſcat.

Atque hujus devotissimae pietatis suae te-
ſtes et auditores honorificentissimos , et optat ,
et sperat , et summa reverentia sibi expetit , Il-
lustrissimos Borussiae Proceres , qvos Musarum
ſuarum Maecenates religiosissime veneratur.
Nec defuturos confidit Honoratissimos omni-
um Ordinum Hospites , litterariosque Cives ,
qui optimas artes in deliciis habent , et glorio-
fissimo illarum Nutritori extensos in Nesto-
reum aevum annos apprecari , et certam magni
nominis immortalitatem gratulari aniant.

P.P. IV. Id. Aug. A.N.C. ccccxxi.

